

participatio sacerdotii Christi, imperfecta tamen, et non eodem modo afficiens subjectum sicut sacerdotium Christi. Item est participatio per modum potentiæ, et non per modum habitus; unde non datur ad hoc ut subjectum faciat bonum, sed ut verum Dei cultum, et opus faciat ministerialiter.

CX. Ad primam confirmationem respondetur, characterem esse potestatem instrumentalem, quæ agit ut mota a Christo; non quidem mota ad bonum et malum ex parte subjecti (hoc enim non instrumentaliter habet subjectum, sed tamquam causa principalis, cum voluntarie debeat ad tale bonum et malum operari) sed est mota illa potestas a Christo ad faciendum bonum opus, et bonum cultum Dei quoad substantiam et validitatem; ideoque si male et indigne fiat a ministro, non refunditur id in Christum, sed in malitiam ministrantis, si quidem per motionem characteris non movet Christus ad hoc ut minister digne, et bene ministret, sed ut bonum ministret; quod ipse facit etiamsi indigne faciat.

CXI. Ad secundam confirmationem respondetur primo, quod ut aliqua qualitas sit determinata ad bonum per modum habitus, non sufficit quod in propria materia faciat bonum, quasi ex parte objecti et operantis solum, sed quasi ex parte subjecti, reddens ipsum subjectum bonum, et convenienter aut inconvenienter ipsum disponens; alias enim potentia visiva, aut intellectiva essent habitus, quia in propria materia ad bonum quoddam sunt determinatæ; at character non ordinatur ad bonum per modum habitus, quasi ex parte subjecti reddat ipsum convenienter aut inconvenienter dispositum, sed per modum potentiæ, quia ut ministerialiter tantum se habeat circa illud opus

datur; ut autem bonum faciat subjectum non debet tantum ministerialiter se habere, sed per modum virtutis principalis.

CXII. Secundo respondetur, quod character in propria materia adhuc retinet indifferentiam, quia cum pertineat ad intellectum practicum, non solum deberet perficere intellectum in ordine ad verum, sed in ordine ad bonum; unde cum practice respiciat cultum Dei, oportet quod pro materia habeat cultum religiosum; ac adeo, si in materia ista religionis indifferenter se habeat, utique in propria materia indifferenter se habet. Si ergo character indifferens est ad religiose vel irreligiose ministrandum, cum materia ejus propria sit practice se habere ad cultum religiosum, inde est, quod per modum potentiæ, et non habitus se habeat circa propriam materiam.

CXIII. Tertio arguitur: Stat bene quod aliqua qualitas detur ad simpliciter operandum, tam quoad modum quam quoad substantiam, ut patet in qualitatibus supernaturalibus; et tamen illi sunt habitus, et non potentiæ, licet habeant modum potentiæ: ergo similiter character, licet detur ad simpliciter operandum effectum supernaturalem, tamen ponetur in prima specie qualitatis, licet habeat modum potentiæ.

CXIV. Confirmatur primo, nam si character habet rationem potentiæ; ergo consequitur aliquam essentiam, quia omnis potentia est principium proximum operationis, quæ sequitur ad principium aliquod radicale, quod est natura et essentia; sed character non consequitur aliquam essentiam; ergo non se habet ut principium proximum, et consequenter neque ut potentia minima. Minor patet, nam character non consequitur aliquam essentiam naturalem

cum sit qualitas supernaturalis, alias omni animæ conveniret; nec consequitur naturam supernaturalem, ut gratiam, cum sit tantum instrumentalis potestas.

CXV. Confirmatur secundo, nam si character est potentia per se ordinata ad operationem et actum; ergo qui agit per illum, agit per formam et qualitatem permanentem: ergo ut causa principalis; in hoc enim distinguit S. Thomas causam principalem ab instrumentali, quod illa agit per propriam formam, hæc per motum. Quod si character est qualitas, quæ per elevationem debet instrumentaliter agere; ergo sufficit quod sit habitus, et non requiritur quod sit potentia; nam æque bene elevabilis est habitus ad instrumentaliter efficiendum, sicut alia quælibet qualitas; non ergo est ratio cur character dicatur potentia, si instrumentaliter solum concurrat.

CXVI. Confirmatur tertio, nam character est qualitas permanens, et non sicut virtus fluens in sacramentis: ergo directe debet pertinere ad aliquam speciem qualitatis. Non pertinet autem directe ad speciem potentiæ, ut S. Thomas dicit, et ostendimus sequenti dubio; ergo debet directe poni in prima vel tertia. Nec refert dicere, quod est potentia instrumentalis, non principalis; et ideo constitui debet solum reductive in secunda specie, nam omnes potentiæ naturales sunt facultates instrumentales naturæ, ut oculus, auditus, intellectus, etc. quibus quasi instrumentis et organis anima operatur; dependent enim ab ea ut a principali agente, et tamen non propterea reductive pertinent ad rationem potentiæ: ergo similiter character.

CXVII. Respondetur ad principale argumentum primo, quod habitus per se infusi substantialiter sunt habitus, et habent modum potentiæ,

quia ut dicit S. Thomas 1-2, quæst. LI, art. IV, aliqui habitus sunt, quibus homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanæ naturæ; et tales habitus solum possunt homini inesse ex infusione divina. Vide de hoc etiam S. Thomam in IV, dist. IV, quæst. I, art. III, quæstiuncula III ad primum.

CXVIII. Ex quo colligitur, quod tales virtutes duo habent, et disponere hominem bene, et ordinare ad finem excedentem naturam; et pro ea parte qua excedunt naturam, habent modum potentiæ, quantum ad hoc quod non supponunt in potentia activitatem proportionatam ad talem finem etiam imperfecte, sed totam ipsi conferunt potentiæ. At vero ea parte qua bene disponunt hominem ad talem finem, habent rationem habitus, quia videlicet non solum ordinant ad bonum, sed etiam ordinant bene subjectum ad finem supernaturalem; unde et dantur homini ut illis tamquam formis operetur ad modum causæ principalis actus supernaturales. At vero character non habet disponere bene subjectum in ordine ad aliquem finem, sive in ratione veri, sive in ratione boni; sed solum constituere illum ministrum, et instrumentaliter operativum sacramentorum, aut principium passivum eorum; et ideo non debet solum habere modum potentiæ, sicut habitus infusi, sed etiam ad aliud pertinere non potest nisi ad potentiam.

CXIX. Secundo respondetur, quod habitus supernaturales, licet præbeant totam activitatem proximam et proportionatam subjecto in ordine ad actus supernaturales, præsupponunt tamen analogicam activitatem, et quod potentia (saltem analogice et materialiter) possit in illos actus; sicut charitas supponit potentiam, quæ potest diligere Deum, sed non quæ potest diligere super-



naturaliter, etiam inchoate; et ideo non possunt isti habitus infusi actuare nisi potentias, quæ aliquo modo possunt in Deum; character autem non supponit potentiam, quæ etiam analogice possit in actus supernaturales, sed ipse datur ut instrumentaliter possit in illos actus, quantum ad omne quod in eis est analogice et univoce, unde non debet dari ut habitus. Datur vero character ut principium primo et per se validativum actus in genere sacramentali, non præbendo activitatem, sed valorem, et tollendo nullitatem ministerialiter, quod non faciunt habitus infusi.

CXX. Denique S. Thomas non probavit quod character esset potentia, quia dabatur ad simpliciter operandum; sed quia dabatur ad simpliciter per modum principii, et abstrahendo ab hoc quod est bene vel male, ex parte subjecti, quia indifferenter se habet ad subjectum, cum tamen habitus supernaturales recte disponunt subjectum ad finem superiorem; et ideo non per modum principii sed habitus dantur.

CXXI. Ad primam confirmationem respondetur, quod potentia naturales, et quæ sunt simpliciter potentia, consequuntur aliquam naturam ut sint illi principium operandi; potentia autem instrumentales, et quæ solum reductive sunt potentia, non oportet quod consequantur naturam subjecti, in quo sunt, sed derivantur a potentia principalis agentis, in quo invenitur principaliter talis potestas; et sic character non est potentia, quæ in nobis debet consequi ex aliqua essentia, sed quæ debet in nobis ab extrinseco communicari, cum sit potestas instrumentalis, et sic derivatur a sacerdotio Christi, et potestate excellentiæ, quam ex vi gratiæ capitis habet supra totam Ecclesiam, quæ aliquid physicum est.

CXXII. Ad secundam confirmationem respondetur, characterem esse qualitatem et formam permanentem, non quæ det activitatem permanentem in ordine ad effectus supernaturales, sic enim constitueret causam principalem; sed est qualitas permanens, ut instrumentum constituat hominem debito modo, id est, ut homo ita sit ordinatus, ut habeat sibi connaturalem et debitum concursum instrumentalem ad exercendum sacramentales effectus, sicut si haberet potentiam naturalem; et hoc ideo, quia homo est instrumentum animatum et voluntarium, ut sic agat et exerceat quando voluerit actus sacramentales, sicut exercet actus naturales; hoc tamen non ponit in ipso activitatem per modum permanentis, sed tota activitas datur, quando datur ei elevativus concursus ad instrumentaliter operandum; et ideo per qualitatem illam permanentem, qua ordinatur homo ad hoc ut sibi connaturalem et debitam faciat talem motionem, et concursum elevativum, dicitur habere potentiam instrumentalem ad actus supernaturales, quæ reductive est potentia, non tamen habet activitatem permanentem.

CXXIII. In caractere autem, qui solum est potentia passiva, non currit hæc difficultas. Et hæc doctrina est conformis S. Thomæ, qui in III, dist. XIII, quæst. I, art. I distinguit ex philosophi octavo ethicorum, cap. VIII duplex instrumentum, alterum animatum, alterum inanimatum. Et quidem inanimatum ita agitur quod non agit, ut securis; animatum autem et agitur et agit, unde indiget habitu regente operationes, quo non indiget inanimatum. Ad hunc ergo modum homo indiget qualitate permanente, qua instrumentaliter agat quando voluerit, quæ quia solum ordinatur ut instrumentaliter agat, induit rationem

potentiæ, et non habitus, quia non disponit subjectum, sed ordinat ad operationem, non præbendo activitatem permanentem, sed ordinando ut eam connaturaliter habeat elevantem, et quando voluerit. Et sicut in humanitate Christi aliud est esse conjunctam divinitati, aliud active se habere ad effectum per motionem instrumentalem; sic in ministris Christi aliud est esse ei conjunctos et configuratos, quod permanentem habent per characterem aliud, activitatem habere instrumentalem, quod fit per motionem. Per characterem ergo non datur activitas ad effectum sacramentorum, qui producit instrumentaliter, sed validitas ad actus, ut non sint nulli, sed validi in genere sacramentali.

CXXIV. Si dicas: Ergo omnis character est potentia passiva, quia non habet activitatem respectu instrumentalis concursus et motionis respondetur, quod character non datur in ordine ad instrumentalem motionem, ut ad proprium actum (quia etiamsi non daretur physica motio instrumentalis, adhuc daretur character) sed in ordine ad ea, quæ sunt protestationes divini cultus, et actiones sacras exercendas; et in his vel passive se habent, vel active; ad operandum autem instrumentaliter, semper passive se habent, sed non ad operandum ministerialiter et sacramentaliter, quia in aliquibus configurantur Christo agendo, in aliis recipiendo.

CXXV. Ad tertiam confirmationem dicitur dubio sequenti. Interim respondetur, quod character licet sit qualitas permanens, in suo tamen genere est imperfecta et inchoata, nec importans vim activam in se, sicut potentia naturales; sed pure instrumentalis est, et ideo reductive pertinet ad speciem potentia. Ad replicam respondetur, potentias naturales dici instrumenta-

les facultates naturæ, vel essentia; aliter tamen quam character, nam esse instrumentum dupliciter dicitur: uno modo sicut virtus causæ, respectu ipsius causæ; alio modo sicut aliquid deserviens et ministrans ipsi virtuti causæ, et ab ea derivatum. Aut (quod redit in idem) esse virtus instrumentalis, aut est quia subjecto est ratio et virtus operandi, ut causa principalis; dicitur tamen instrumentum, seu facultas subjecti, quia ut ejus forma, et dependenter ab ipso agit. Primo modo potentia dicuntur instrumenta naturæ vel substantiæ; sunt tamen virtus ipsa substantiæ, seu naturæ operantis; et ideo non dicitur pure instrumentalis virtus, sed virtus causæ principalis; quæ tamen quia agit in virtute substantiæ, instrumentum ejus dicitur; ipsa tamen natura cum illa virtute dicit integram rationem causæ principalis. Secundo vero modo est proprie virtus instrumentalis, et sic se habet character, quia non est virtus ipsius principalis agentis, sed est virtus ministerialis ipsius ministrantis; et ideo hæc reductive est potentia, non illa.

CXXVI. Quarto arguitur: Character baptismalis non habet proprie rationem potentia: ergo ille non potest poni in specie potentia. Antecedens probatur, nam character baptismalis neque est potentia activa (ut omnes concedunt) neque passiva, nam omnis potentia passiva physica oportet quod physice aliquem actum in se recipiat, et ab eo actuetur; character autem baptismalis non recipit in se aliquem actum physice: ergo non est physica potentia passiva. Minor probatur, nam character baptismalis neque est potentia passiva ad suscipiendum physice sacramenta alia, neque effectus sacramentorum (videlicet gratiam, aut alios characteres) ergo



non est dabilis aliquis actus cujus sit receptivus physice. Antecedens probatur, nam sacramenta physice recipiuntur in corpore, cum sint quid sensibile, et sensibili actione perficiantur; character autem spirituale quid est, et matrimonium contractum eisdem signis inter baptizatos et non baptizatos, in illis est sacramentum, non in istis, cum tamen in utriusque idem omnino physicum habeat: ergo character non apponit aliquid physicum in uno ut sit sacramentum, quod non in alio. Similiter effectus sacramenti (scilicet gratia et virtutes et modus gratiæ sacramentalis) non recipitur in characterem, sed in essentia, et potentiis animæ immediate.

CXXVII. Denique nec est potentia passiva ad recipiendum alios characteres; tum, quia anima de se æqualiter est susceptiva omnium characterum: ergo non est ratio cur suscipiat unum mediante altero; tum, quia nulla qualitas est potentia passiva, nisi ad suscipiendum in se actum primum, aut secundum, ut in potentiis animæ et habitibus videmus; character autem non ita se habet respectu aliorum characterum; tum denique, quia quod alii characteres supponant characterem baptismalem, solum est ex ordinatione divina sic instituentis, non ex natura rei; ergo non est cur ponatur character baptismi esse physica potentia ad suscipiendos alios characteres.

CXXVIII. Confirmatur, nam implicat esse potentiam pure passivam, et esse instrumentalem; nam instrumentalis virtus ordinatur ad agendum effectum principalis agentis, cui subordinatur; si ergo character baptismalis est potentia instrumentalis tantum, non est passiva; vel si est passiva, non potest se habere ut potentia instrumentalis; et consequenter non reductive,

sed directe pertinebit ad speciem potentiae.

CXXIX. Ad argumentum principale respondetur, advertendo prius quod character non est potentia passiva pure, ut advertit Cajetanus, III parte, quæst. LXXII, art. v, sed sicut minister est instrumentum animatum, quod non pure passive agitur, sed agitur sicut vivens, sic character baptismalis datur ad recipiendum sicut minister, qui est animatum instrumentum; scilicet, ut vivens vita christiana recipit augmentum, et ea quæ sunt christiani per conformationem ad Christum; et hoc est valide sacramentaliter.

CXXX. Unde respondetur, characterem baptismalem esse potentiam passivam, non ad suscipiendum naturaliter, sed sacramentaliter omnia alia sacramenta, et effectus eorum. Unde non est potentia passiva, sicut naturalis potentia, quæ respicit actus naturali modo sibi uniendos; sacramenta ergo recipiuntur in corpore quasi naturaliter, seu ut entitates quædam corporeæ, medio autem characterem sacramentaliter, et ut validæ actiones sacramentales. Itaque character præbet subjecto quod non solum naturaliter recipiat illam actionem sacramentalem, et in genere entis, sed etiam in genere sacramentali; dependetque intrinsece actio illa ut sacramentalis sit a subjecto habente characterem, in genere causæ materialis. Constat enim, quod si detur confirmatio, aut poenitentia homini non baptizato, non fit sacramentum nec sacramentaliter recipitur, sed dem est, ac fit lapidi vel bruto conferatur. Ad hoc ergo non requiritur quod character realitatem actionis sacramentalis suscipiat in se, quia non datur ad naturaliter, et in genere entis suscipiendum characterem, sed ut tale sacramentum suscipiatur valide sacramentaliter, et

in ratione sacramenti. Et licet character sit in anima, tamen facit quod totus homo sacramentaliter suscipiat hanc actionem, et non solum naturaliter.

CXXXI. Et si quæras, quid sit sacramentaliter suscipere, ut ad hoc requiratur potentia physica passiva, respondetur, quod sacramentaliter suscipere sacramenta, seu valide suscipere ex vi characteris, est dependere sacramenta in ratione sacramenti a subjecto suscipiente in genere causæ materialis: et sicut ad operandum sacramenta, non solum in quantum actiones naturales sunt, verbi gratia absolutionem, unctionem, ablutionem, etc. sed in quantum sacramentales sunt, indiget homo potentia quadam activa physica, quæ est character; ita ad suscipiendum easdem actiones in quantum sacramentales sunt, indiget homo physica potentia passiva, a qua in genere causæ materialis dependet sacramentum, ut sacramentum est, id est, non ut purum elementum, aut elementalis actio, sed ut habet excellentias, quas a Christi virtute participat sacramentum.

CXXXII. Secundo respondetur, quod potentia passiva physica debet esse susceptiva actus in se, quando est in principali agente; quando vero est in ministro, sufficit quod reddat illum aptum ad hoc sacramentum, et collatum validum sit et valide susceptum, licet non conferat ut digne et debite sit susceptum.

CXXXIII. Tertio respondetur, quod ut sit potentia susceptiva, non requiritur quod sacramentum in eo suscipiatur, sed ratione illius in toto homine suscipiatur; sicut accidentia recipiuntur media quantitate in toto subjecto. Sicut autem unctio verbi gratia suscipitur in toto homine ratione quantitatis corporaliter

et materialiter, sic et in toto homine recipitur sacramentaliter ratione characteris.

CXXXIV. Ac denique dici potest, quod alii characteres, etiam physice et entitative recipiuntur medio characterem baptismi, quia licet anima sit capax absolute omnium characterum, secundum ordinariam tamen, et suavem Dei ordinationem recipiuntur medio baptismali, cui ex natura sua proportionatur; sicut licet de potentia absoluta possit albedo suscipi immediate in substantia, hoc tamen non tollit quin quantitas sit immediatum ejus susceptivum. Quod vero qualitates solum suscipiant actum primum vel secundum, hoc est verum de qualitatibus naturalibus et principalibus, non instrumentalibus. Similiter gratia secundum quod sacramentalis, et perficit intellectum, potest dici quod subjectatur medio characterem in intellectu, quia perficit ipsum ut digne exequatur operationes characteris, et digne suscipiat ea, ad quæ ordinatur character, et digne fiat protestatio fidei in sacramentis.

CXXXV. Ad confirmationem respondetur, quod potentia passiva non dicitur instrumentalis quasi motio, et virtus derivata a principali agente; sic enim (ut probat argumentum) solum reducitur ad activam rationem potentiae; sed dicitur instrumentalis, quasi ministerialis, et deserviens ministerialiter ut effectus suscipiantur in subjecto, non entitative et materialiter, sed sacramentaliter. Sacramentalis enim receptio, quasi ministerialis est; et ideo potentia ad suscipiendum sic effectus, non est aliquid perfectum in genere potentiae, cum non detur ad perfecte suscipiendum illos, sed ad suscipiendum sacramentaliter et ministerialiter. Si enim esset non solum reductive, sed etiam perfecte poten-